Oro ut caritas vestra magis ac magis habundet in
sciencia et in omni sensu ut probetis pociora et
sitis sinceres et sine offensa in die Christi
Sic scribitur ad Philipp. primo capitulo. Omni operi omnis operacioni
non solum debetur efficiens quod opus agit. Verum eciam
exigitur finis quem agens intendit materia qua agens as
sumit forma quam suo operi agens imponit. Unde ad doctrinam
sacre erudicionis pertinet ista quatuor que in assumptis verbis
convenienter possunt notari. Causa namque efficiens divine ex
hortacionis duplex est scilicet principalis et instrumentalis.
Principalis causa est deus cui istas acciones offerre debemus
Iuxta illud psalmi Ad te orabo domine. Unde causa agens principa
lis insinuatur cum dicitur Oro scilicet deum principalem actorem pre
dicacionis. Causa vero instrumentalis predicator est Cuius
lingwa a deo debet moveri iuxta illud psalmi lingwa mea
calamus scribe etc. Christus enim loquitur per predicatorem veritatem prout
testatur apostolus 2o Cor. 13 An experimentum queritis
eius qui in me loquitur Christus. Causa igitur agens instrumen
talis intelligi datur per hoc quod dicitur Caritas vestra
Causa vero formalis insinuatur cum dicitur magis ac magis ha
bundet. Debet enim predicator habundare auctoritatibus racionibus
ac similitudinibus ac exemplis ac variis modis sicut
materia prebebit Et hoc est quod apostolus dicit primo ad Cor.
14 Quoniam emulatores estis spirituum ad edificacionem ecclesie
queritis ut habundetis. Sciencia enim sapientis tamquam habun
dancia inundacio habundabit ut dicitur Ecclesiastici xxi. Causa
quoque materialis sufficienter significatur per hoc quod in auctoritate
concluditur In sciencia et in omni sensu. Dicitur in sciencia ad in
sinuandum divine veritatis noticiam que sola veritatis sapiencia
et sciencia dici debet iuxta illud capituli x Dedit illi scienciam
sanctorum. In sola enim sacra scriptura traditur noticia omnium illorum
que necessaria sunt ad salutem secundum illud sapiencie x Scit enim omnia
et intelligit quinymmo qui sacram scripturam se putat sci
re tamen est quod vani sunt omnes homines in quibus non subest
sciencia dei ut habetur Sapiencie 13. Causa vero materialis que est sacra
scriptura insinuatur in nomine sciencie Sed additur in omni sensu